

Senior (Years 12-13) Virgil Aeneid 11 539-563

pulsus ob invidiam rēgnō vīrēsque superbās
Prīvernō antīquā Metabus cum excēderet urbe, 540
īnfantem fugiēns media inter proelia bellī
sustulit exsiliō comitem, mātrisque vocāvit
nōmine Casmillae mūtātā parte Camillam.
ipse sinū prae sē portāns iuga longa petēbat
sōlōrum nemorum: tēla undique saeva premēbant 545
et circumfūsō volitābant mīlite Volscī.
ecce fugae mediō summīs Amasēnus abundāns
spūmābat rīpīs, tantus sē nūbibus imber
rūperat. ille innāre parāns īnfantis amōre
tardātur cārōque onerī timet. omnia sēcum 550
versantī subitō vix haec sententia sēdit:
tēlum immāne manū validā quod forte gerēbat
bellātor, solidum nōdīs et rōbore coctō,
huic nātam librō et silvestrī sūbere clausam
implicat atque habilem mediae circumligat hastae; 555
quam dextrā ingentī librāns ita ad aethera fātur:
"alma, tibi hanc, nemorum cultrīx, Lātōnia virgō,
ipse pater famulam voveō; tua prīma per aurās
tēla tenēns supplex hostem fugit. accipe, testor,
dīva tuam, quae nunc dubiīs committitur aurīs." 560
dīxit, et adductō contortum hastīle lacertō
immittit: sonuēre undae, rapidum super amnem
īnfēlīx fugit in iaculō strīdente Camilla.